



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Theophanes C. 12. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Patria THEOPHANI urbs regia Constantinopolis, parentes Isacius & Theodora fuerunt, è principe ambo familiâ. In locum patris demortui ipse Imperator subiit, trimulumque in aulâ suâ omnibus disciplinis erudiri fecit. Sed animus etiam his altiora spectabat. Quare cum nuptias, matre ita volente, effugere non posset, domum quidem sponsam deduxit: cæterum cum Hymenæus in thalamum se penetrare vellet, clausas fores stratumque non sibi sed virginitati reperit. Nempe sponsæ persuaserat jam, ut alterius nuptiis virginitatem conjugio copularet. Id verò graviter tulit socrer, ut qui dulce nepotis nomen amabat. Igitur velut degenerem à patriâ virtute apud *Leonem* Imperatorem ignaviæ accusavit THEOPHANEM. Idemque, ni vestigiis Majorum insisteret, oculos effossurum se minitatus, ut vinculum mundo teneret (nam solitudinem cogitabat) novis honorum dignitatibus oneravit. Sed mortuo Leone, cum rectius Irene mulier Imperium administraret, THEOPHANES inter Monachos, conjux inter Virgines velatas se abdidit. Fugit tamen ille Abbatis honores, ne in alteros scopulos vix subductam ratem impelleret. Post hæc Synodi Nicænæ
pars

13. Mart. VITÆ SANCTORUM. 169
pars magna fuit. Sed & Leoni alteri Ico-
nomacho fortiter se opposuit. Neque hic
virum aut carceris obsidione aut fame
longâ expugnare potuit. Victor igitur
THEOPHANES cælum subiit, duxitque
in triumpho duo ingentia monstra, Leo-
nes duos. *Ex Surio.*

*Perspice ô homo quantum valeas, &
perpende quantum debeas; ut tandem tibi
vili esse desinas, ut vel per hoc erubef-
cendis subjacere vitiis dedigneris dum ge-
nerositate tuam de Creatoris ac Redem-
ptoris dignitate metiris. S. Maxim. hom. I.
de Resurr.*

S. EUPHRASIA V. 13. Martij.

Non facillè ulla alia Virgo splendorem
generis sui ut EUPHRASIA novit
æstimare; quippe quæ alios quantum-
vis nobiles toros alto animo despexit
omnes, unum CHRISTI ambitiosa ex-
periit. Fortè in hunc fixum cruci oculos
defixerat; cùm ut amor facillè omnia si-
bi fingit, quæ ardent, passis brachiis
amplexum offerri sibi interpretata illico
in crucem involavit, & amatum com-
plexa etiam ipsa, æternum illi suos
amores devovit; quin mox futurarum
nuptiarum flammeum inter sacras Vir-
gines accepit. Intereà literæ adsunt à
Theodosio Imp. quem sanguine contin-
gebat. Is quòd quinquennem Ordinis
L 5 Sena-